



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm, In Tertiam Partem
Divi Thomae. Tomi Qvinque**

Mysteria Vitæ Christi, Et Utrivsqve Adventvs Eivs Accurata Disputatione Ita
complectens, vt & Scholasticæ doctrinæ studiosis, & Diuini verbi
Concionatoribus vsui esse poßit

Suárez, Francisco

Moguntiaë, M.DC.XVI.

3. V. Ioannes Euangelista, vel aliquis futurus sit præcursor secundi
aduentus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94022](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94022)

Virum Ioannes Euangelista, vel aliquis alium præter Eliam & Henoch, futurum sit præcursor secundæ aduentus Christi Domini.

DE tribus tantum alijs hominibus inuenio fuisse inter viros Catholicos opinatum, quod futuri sint Christi præcursores, vel simul cum Elia, & Henoch, vel loco alterius eorum. Prima ergo sententia fuit Victorini in expof. capit. 11. Apocalyp. qui dixit, Ieremiam futurum esse vnum ex præcursoribus secundæ aduentus, & videtur sentire, solum illum futurum socium Elia. Quam opinionem plurimorum extitisse affirmat Hilarius can. 20. in Matt. Quæ niti potest verbis illis Ieremiæ, *Antequam exires de vulua, sanctificauit te, & Prophetam in gentibus dedi te.* Nam Ieremias hætenus nõ fuit Prophetæ gentium, sed Iudæorum: ergo iterum venturus est, ante diem iudicii, vt gentibus prophetet. Confirmat hoc Victorinus traditione veterum afferentium Ieremiam adhuc viuere, quia mors eius in scriptura non inuenitur. Hæc vero opinio merito ab Hilario in prædicto loco reiicitur, & tacite reprobat ab omnibus Patribus supra citatis, qui dum affirmant, Henoch futurum socium Elia, & vbiq; duos tantum præcursores numerant, satis excludunt hanc opinionem. Præterea nullum habet in scriptura fundamentum. Quia Ieremias non prædicitur futurus Prophetæ in gentibus, quia aliquando esset concionaturus gentibus: sed quia vel non tantum in Iudæa, sed etiam in Babylonia, & Aegypto prophetauit, scribens ad Iudæos, quibus morabantur: vel etiam quia in sua prophetia non solum de rebus ad Iudæos spectantibus, sed etiam ad gentes prophetauit, nimirum de Assyrijs, Aegyptijs, & alijs, vt ibi Hieron. exponit. Multo ergo magis friuolum est, asserere Ieremiam non esse mortuum, quia in scriptura mors eius non scribitur: quasi vero omnes illi, quorum decessum scriptura non narrat, propterea semper viuere existimandi sint. Quod igitur in Aegypto lapidibus à populo obrutus, ac mortuus fuerit, scribunt Epiphanius lib. de prophetar. vita, & interitus, Isidorus in Synopsi, qui addunt, sepultum esse in eo loco, vbi Pharaon habitauerat, & in magno honore eius sepulchrum ab Aegyptijs habitum. Igitur hæc opinio, vt improbabilis reiicienda est.

Hilar.
Ierem. 1.

Ieremias
Christi ad
iudicium
vniuersale
venturi præ-
cursor non
fuiturus.

Hieronym.

Epiphanius.
Isidorus.
Dorotheus.

Hilar.

Catharinus.
Ioan. Arbor.

Ioachim.

Gagneus.

Gagneus.
Apoc. 11.

Moyse
secundæ aduentus
Christi

Secunda sententia est, Moysem venturum cum Elia. Hanc tenuit Hilarius dicto can. 20. in Matt. vbi affirmat eum viuere. Hanc sententiam quoque hanc posteriorem partem supra tractauimus agentes de transfiguratione: quoad vtramque vero eam sequutus est Catharinus Genes. 3. & Ioan. Arbor. in Theosophia lib. 11. c. 11. Hi vero non affirmant, solum Moysem venturum cum Elia, sed simul cum Henoch. Ferrur etiam tenuisse hanc sententiam Ioachim Abbas, in expof. super Apocal. capit. 11. & eandem, licet diuerso modo, sequutus est Gagneus Apocal. 11. Existimat enim, Moysem mortuum esse: suscitandū tamen eo tempore, vt secundum Christi aduentum præueniat. Fundamentū Hilarij fuit, quia in primo aduentu Elias, & Moyses fuerunt testes gloriæ, & manifestatis Christi in die transfigurationis: ergo ijdem erunt testes eius ante secundum aduentum. Confirmat hoc Gagneus ex verbis illis Apoc. 11. *Potestatem habebunt super aquas conuersendi eas in sanguinem, & percussere terram omni plaga.* Hæc enim potestate Moysem duntaxat vsum legimus, & ideo optime in illum hæc verba conueniunt. Nihilominus hæc sententia parum probabilitatis habet, primū propter antiquam fere omnium veterum traditionem affirmantium (vt vidimus) Henoch venturum cum Elia. Secundo quia supra ostendimus ex scriptura, Moysem defunctum esse, ex quo fit, animam eius & cum sanctis Pa-

A tribus in Sinu Abrahæ fuisse ante Christi mortem, & post illam, cum eo regnare, esseq; beatam. Quis enim temere audebit ab hac generali regula fidei sanctam Moyse animam excipere sine autoritate, vel rationis fundamento? Ergo non est verisimile redituram ad corpus mortale, quia nec priuanda est gloria, quam iam possidet, nec in corpore mortali futura est beata. Vtrumque enim est inusitatum miraculum, quod sine magno fundamento fingendum non est, sicut supra de Henoch, & Elia argumentabamur. Præterea, quod Moyses in transfiguratione Christi apparuerit, argumentum est, quod sit etiam venturus ante iudicium. Quæ enim est huius consequentis ratio? Tunc ergo apparuit propter speciales congruentias, tunc occurrētes, quas suo loco terigimus. Illa autem verba Apoc. licet videantur alludere ad signa facta per Moysem in Aegypto: non tamen propterea indicant eundem Moysem venturum, qui tunc illa signa patrauit: sed solum significant, facile post Christum similem potestatem suis præcursoribus tribuere.

Tertia sententia est, Ioannem Euangelistam futurum esse præcurem secundæ aduentus Christi simul cum Henoch & Elia. Quæ primo supponit, illum nondum esse mortuum propter verba Christi Ioan. ultimo. *Sic eum volo manere, donec veniam: quid ad te?* Nam ibi Christus de secundo suo aduentu loquitur, cum ait, *donec veniam*, quia non est alius aduentus Christi post resurrectionem eius: ergo ex voluntate Christi, sic, id est, sine morte mansurus fuit Ioannes vsq; ad secundum Christi aduentum, & ita verba Christi intellexere discipuli. Et confirmatur hæc sententia ex historiis. Quia nec mors Ioannis Euangelistæ narratur, nec reliquæ corporis eius inueniuntur: sed solum refertur, quod viuus sepulcrū ingressus discipulos suos abire iusserit, qui altera die reuersi ibi nihil inuenierunt. Secundo hinc colligitur, eum adhuc manere in corpore mortali, & aliquando moriturum. Probatur primo ex illa generalis sententia, *Statutum est hominibus semel mori*, ad Heb. 9. Psalm. 88. *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* Ergo ab hac sententia non est excipendus Ioannes sine fundamento: rediturus ergo est, vt debitum mortis soluat, sicut de Elia, & Henoch argumentatur August. lib. 9. Genes. ad lite. cap. 6. & D. Thom. ad Hebr. 11. & hoc est, quod corrigere voluit ipsemet Ioannes dicto cap. ultimo, cum scripsit, *Et non dixit Iesus non moritur, sed sic eum volo manere, donec veniam.* Quamquam enim recte intellexissent, Ioannem ita mansurum vsque ad aduentum Domini, errabant inde colligentes, non moriturum, quia hoc non dixerat Christus, neque sequitur ex verbis eius. Nam verba illa, *donec veniam*, non sunt intelligenda in clausula (vt sic dicam) sed exclusiue, id est, donec inflet aduentus meus. Secundo confirmari hoc potest ex alijs verbis Christi Matthæi 20. *Calicem quem bibetis, bibetis.* Vbi Chrysost. hom. 66. ita exponit, *Martyrij corona potestini, & violenta morte, sicut & ego à vita discedetis.* Cum ergo hætenus Ioannes Euangelista non sit passus martyrium, vt hæc Christi verba impleantur, necesse est vt aliquando Martyrium vsque ad mortem sustineat. Et hinc tandem fit verisimile, venturum Ioannem cum Henoch, & Elia, vt in fine mundi Christo testimoniū perhibeat. Quia neque in aliud tempus, neque ad alium finem videretur posse referuari. Et confirmatur ex 10. ca. Apocal. vbi angelus dixit Ioanni, *Oportet te iterum prophetare gentibus, & populo, & linguis, & regibus multis: sed hoc hætenus impletum non est: erit ergo implendum saltem in consummatione mundi.* Deniq; addi potest congruentia, quia testimoniū Ioannis aptissimum erit, & efficacissimum, cum quia si vñturi sunt testes legis naturæ, & veteris, cur non etiam legis graciæ? Tum etiam quia Ioannes erit testis oculatus, quib; diutius cum Christo conuersatus est, & omnia quæ

præcursus
non fuit

Ioan. 11.

Heb. 9.
Psalm. 88.

Augustinus.
D. Thom.

Ioan. 11.

Matth. 20.

Apoc. 10.

ad Antic.

Hippolyt.
Damas.
Luc. 9.

ad Antichristum, & diem iudicii spectant, fufius, quam alius, prædixit. Atque hanc sententiam ex antiquis tenuit Hippol. dict. orati. de consum. mundi, eamque indicat Damasc. orat. de transfiguratione, ubi tractans verba illa Luc. 9. *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortē, donec videant filium hominis in regno suo*, sic inquit: Sane si tanquam de vno dixisset, est quidam de hic stantibus, idem fortasse significari concessimus, quod per verba, sic eum volo manere, donec veniam, quid ad res? Quod de Ioanne Theologo dictum est, ut qui vsque ad Christi aduentum mortis omnino expectaturus sit: sic enim iam nonnulli præstanti eruditione viros hunc locum exposuerunt. Eandem fere sententiam tenet Ambr. tractans eadem verba Luc. lib. 7. in Lucam in principio. Et eandem referunt Theoph. Ioan. vltimo, & Euthym. in Matth. c. 43. ut probabilem relinquunt. Eam vero tenuit etiam Simcon Metaphr. in vita Ioann. ex recentioribus vero defendit Sabellicus lib. 1. de moralibus factis, & dictis capit. 8. & Georg. Trapezuntius libello circa dicta verba, sic eum volo manere, & Catharin. Genes. 2. Item Anton. 4. p. tit. 13. cap. 4. §. 2. pro hac sententia refert Theophylum, & Ioannem Dominicum, à qua ipse non discedit. Idem videtur sentire Freculphus in chronico, c. 2. lib. 2. cap. 9.

Ambros.
Theophyl.
Euthym.
Sim. Meta.
Sabellic.

Trapezun.
Catharin.
Anton.

Freculph.

Nihilominus probabilis apparet, Ioannem Evangelistam mortuum esse. Primo quia antiquissimi Patres, & historici hoc testantur, Euseb. lib. 3. Histor. cap. 31. alias 25. qui id refert ex Polycrate in epist. ad Victorem Pontificem, cuius verba valde notanda sunt. In Asia prælati nostra religionis tanquam seminaria morte conspiciunt, quæ resuscitantur in extremo die aduentus Domini. Et infra. His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, qui sacerdos, Martyr, & doctor fuit, & Ephesi etiam obdormiuit. Idem Euseb. lib. 5. cap. 24. Hieronym. lib. de script. Eccles. Confessus (inquit) senio sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem urbem sepultus est. Quod repetit libro 1. contra Iovinianum circa medium, & Matthai 20. & Niceph. lib. 1. Hist. capite 35. & lib. 2. capite 42. Tertullian. libro de anima capite 50. Obijt & Ioannes, quem in aduentum Domini remansurum frustra fuerat spes. Ambros. lib. de fide resurrect. parum ante medium hanc sententiam insinuat, cum dicit. Neque quisquam sibi, ut sic maneret optavit, Ioanni promissum estimatum est, sed non est creditum: verba tenemus, sententiam deriuamus. Ipse in libro negat sibi, quod non meretur, esse promissum, ne quem vana spes exemplo incesset. Augustinus sermone 549. de tempore dicit, Ioannem obdormiisse sine vulnere, sine ruitu, & ita exponit verba Ioannis 21. ut dicemus. Idem latius tractat, ac docet tract. 124. in Ioan. Et ita etiam sentit Beda lib. 1. Theophyl. & Euthym. locis supra citatis, & Chrysost. homil. 1. in Ioan. Dicit enim, Ioannem corpore quidem habitasse in Asia, animo vero in eum fecisse locum, qui idoneus, & accommodatus ei esset, qui eiusmodi operaretur, ut Gentilium opinionem penitus aboleretur, sua autem indies fierent clariora. Idem lib. de vita & obitu sanctorum capite 74. & Dorothe. in synopsi in Ioanne, solum dicit, Ioannem vixisse annos centum viginti, quibus finitus seipsum Ephesi, viuis adhuc, volente Domino sepeliuit. Quod apertius explicuit Epiphani. hæref. 79. ubi, cum Eliam & Ioannem in virginis donis æquales fecisset, subdit. Sed neque El. as adorandus est, sed de latria iustis viuis sit, neque Ioannes, quamquam per preces suas proprias dormitionem suam admirandam effecerit: imo potius ex Deo gratiam acceperit. Præterea in Concil. Ephesi. tomo 3. capite 6. sic dicitur, Sacras Sanctorum triumphatorumque martyrum: maxime vero beatissimi Ioannis Theologi, ac Evangeliste reliquias videndi, easdemque complectendi desiderio flagrant, & tomo 2. capite 14. Cælestinus Papa in Epistola ad Synodum Ephesinam, ante, inquit, vos præcipue considerare, iterum atque iterum reuolere decet, quibus Ioannes Apostolus predicauit, cuius reliquias presentes honoratis. Idem fere habetur in 7. Synod. act. quinto, prope fi-

August.

Beda.
Theophyl.
Euthym.
Chrysost.

nem, ubi narratur miraculum de Ioanne Anachoreta. Ex ijs satis ergo constat, & mortuum esse Ioannem, & eius corpus Ephesi fuisse sepultum. Nā quod quidam finxerunt, ut Augustin. & Isidor. supra referunt, Ioannem quidem vere fuisse sepultum: tamen viuum, & dormientem sub terra seruari, & incredibile est, & sine vlllo fundamento confictum. Huic etiam sententiæ Ecclesiæ autoritas magnam fidem facit, ut iam dicam. Neque ex verbis Christi Domini aliquid sumi potest contra hanc receptam historiam, & traditionem. Ut enim omittam multa quæ de multiplici lēctione illius loci possent scribi, quæ in recentioribus expostitoribus illius loci, & apud Franciscum Lucam in suis notationibus videri possunt, quia si legatur si vel sic, vel si sic eum volo manere, non multum refert, nec variat sensum verborum Christi: His, inquam, omisis, tres sunt probabiles sensus: primus ut Christus non loquatur de secundo suo aduentu ad iudicium, sed de aduentu ad vindictam fumendam de Iudeis non personali præsētia, sed per effectum, iuxta quam expositionem significare voluit Christus Ioannem viuum permanfurum vsque ad destructionem Ierusalem. Hanc expositionem refert Theophyl. eamque sequitur Franciscus Tolerus. Secundus sensus est, Christum loquutum esse de proprio aduentu, & vltimo: tamen nihil affirmasse, sed solum interrogando Petrum, conditionali locutione, illius curiositatem eluisse. Et hunc sensum videtur sequi Chrysost. & apertius eum tradit Cyrillus. Tercius est, Christum solum affirmasse Ioannem non futurum sui sectatorem per crucem, & violentam mortem Martyrij, & hoc sensu dixisse, sic eum volo manere, donec veniam, scilicet, ut ipsum ad me recipiam. Ita August. locis citatis, quem Beda, D. Thom. super Ioan. imitantur.

August.
Isidor.

Franc. Luc.
Testimonij
Ioann. 21.
Expositio.

Theophyl.
Tolet.

Chrysost.
Cyrill.

August.
Beda.
D Thom.

Ioannes Eu.
angel. sta.
beatitudina
iam fruuntur.

Ex hoc autem fundamento colligitur, Ioannem cum Christo regnare in beatitudine cœlesti, ut patet ex ijs, quæ de Moyse dicebamus. Quia generalis fidei regula est, hominem iustum, ac perfectē purgatum, post mortem statim consequi beatitudinem. Et hoc plurimum cōfirmat Ecclesiæ traditio. Celebrat enim festum Ioan. Evangelistæ, cum neminem colat nisi beatum, Deoq. fruētem, & ita hoc aperte supponit in toto officio illius festiuitatis. Et hunc etiam cōfirmatur q. diximus de morte eius. Quia ante mortem corporis nullus hominum beatitudinem ingreditur. Dixerunt vero aliqui, Ioan. non solum animo, sed etiam corpore iam esse beatum, non quod absq. morte media ad illum statū fuerit assumptus: sed quod statim post mortem resurrexit gloriosus. Quod confirmant cōiecturis supra adductis, quia reliquie eius nō apparēt: & præterea, quia verba Christi videntur hoc modo proprius exponi. Nā propter breuitatem mortis, & accelerationē resurrectionis, potest dici sic semper manere, quia illa mors, quasi nihil reputatur: sicut supra in simili diximus, exponentes locum Pauli 2. ad Thess. 4. Et huius sententiæ meminit Ambr. serm. 2. o. in Psalm. 118. & Hier. in ser. de assum. neq. eam reiiciunt: neque D. Tho. lect. 5. in c. 21. Ioan. eamq. sequitur Niceph. supra. Sed nullum habet sufficiens fundamentum. Quia ex antiquis patribus (quos retulimus) constat reliquias eius diu Ephesi permanfisse, quinimo Chrysostomus homilia 26. in Epistola ad Hebræos cum dixisset, Apostolorum plurimorum ossa nescimus, ubi iacent, subdit, Petri & Pauli quidem, Ioannis & Thomæ manifesta sunt sepulcra: loquitur autem manifeste de sepulcro, in quo erant Ioannis ossa, quæ supponit Ephesi fuisse. Postea vero alio trāsferri potuerūt, & ignorari, vel casu aliquo perire. Historia autem illa, quod viuis ingressus fuerit sepulcrum, apocrypha est & incerta, maxime si fidem adhibeamus Abdie, qui lib. 5. hist. Apostolicæ in fine, aliter refert mortem eius, & illi se interfuisse affirmat. Et quamuis priorē historiam admittamus, ex ea solū habetur (quod supra ex Epiphanio retuli

Ambros.
Hieron.
D Thom.
Niceph.

Chrysost.

Abdine.

retuli

retulimus) Ioannem singulari, & admirando quodam modo obijisse.

Ioannes Euangelista secundum aduentum Christi sit præcursor non futurus
Atque ex his concluditur, Ioannem non esse venturum cum Elia, & Henoch, ut sit præcursor ultimi iudicii, probatur ex dictis, applicando rationes supra adductas de Moysè, & Ieremia. Quia anima iam beata non est iterum unienda corpori mortali, ut patiat, præsertim cum nullum sit fundamentum ad hoc inusitatum miraculum confingendum. Vltimo concluditur, solum Henoch, & Eliam futuros esse secundi Christi aduentus præcursores. Probatum à sufficienti enumeratione. Et omnia confirmantur testimonio Apocal. 11. ubi duo tantum præcursores venturi, & sub Antichristo passuri dicuntur. Quod vero capite 10. de se dicit Ioannes, se adhuc prophetaturum gentibus, hunc habet sensum, quod in illa reuelatione, quam eo capite narrat, intellexisset se plures alias visiones propheticas ad varias gentes pertinentes deinceps habiturum, & scripturum. Alij exponunt, illud dictum esse propter Euangelium, quod postea scripsit, & per illud multis gentibus, regnisque prophetavit. Alij simplicius dicunt, illud impletum fuisse cum iterum in Asia prædicavit, quando ex Insula Patmos, in quam fuerat relegatus, rediit.

Responsio ad argumenta in oppositum Matth. 21. Hieronym. Abdias. Terull.
Et ex his fere satisfactum est fundamentis prioris sententiæ. Solum superest respondeamus ad illa verba Christi, *Calicem quidem meum bibetis*. Quibus respondet ibi Hieron. hoc impletum esse, quando Ioannes in feruentis olei dolium missus est: vel Ephesi ut scribit Abdias dicto libro 5. vel Romæ, ut scribit Tertul. lib. de præscrip. hæreticor. c. 36. & antiquissima Ecclesiæ Romanæ traditio confirmat. Nam licet tunc mortuus non fuerit, tamen quia & voluntarie se morti obtulit in testimonium fidei, & causa illa de se sufficiens erat ad mortem inferendam, nisi miraculose esset impedita, id satis est, ut dicatur *bibisse calicem Christi*, propter quod sæpe ab Ecclesia *martyr* appellatur. Addit Euth. in Matth. 43. calicem Christi bibere, non solum qui violenter mortuus est propter Christum: sed etiam, qui exilia, flagella, aliaque similia propter eum patitur, & sic certans usque ad mortem perseverat. Quæ omnia cum magna perfectione, & dignitate in Ioanne reperiri manifestum est.

Euthym.

Ad ultimam vero congruentiam facile est respondere in lege gratiæ tot esse testes Christi, & doctrinæ eius, ut non sit necessarium tunc novum Ioannis testimonium. Erunt enim tunc multi Sancti, & prædicatores Euangelij, qui Elia, & Henoch adhærebunt. Nec fidei testimonium pendet ex visione oculorum, ut propterea necessarius sit testis oculatus. Quod si hoc etiam cōcedere velimus, aderit Elias, qui Christum vidit in carne mortali, & in gloriæ claritate in die transfigurationis.

DISPUTATIO LVI.

In quatuor Sectiones distributa.

De signis, quæ præcedent aduentum Christi ad iudicium.



Agg. 2.
Heb. 12.
Vponimus, multa signa, & indicia antecessura esse diem iudicii, & aduentum Christi Domini, ut ex scriptura statim ostendemus. Quod (ut D. Th. in 4. notauit) partim pertinet ad Christi dignitatem, & gloriam aduentus eius, iuxta illud Aggæ 2. *Adhuc modicum, & ego commouebo celum, & terram, & mare, & aridam, & veniet desideratus cunctis gentibus*. Nam, licet intelligi hoc possit de primo aduentu, tamen potest etiam referri ad secundum, ex Paul. ad Heb. 12. partim ad vtilitatem hominum, ut se præparent ad iudiciū. Dicemus igitur de illis signis, quæ in Scriptura sacra habent fundamentum.

D. Thom. Hieronym. Sotus. Euseb. Emi. Matth. 24. 2 Tim. 3. Matth. 24.
Cætera enim, quæ afferri solent, nullius sunt autoritatis, qualia sunt illa quindecim, quæ ex Hieron. referunt Scholastici in 4. D. Tho. dist. 58. q. 1. art. 4. q. 1. & Sotus dist. 46. q. 4. art. 1. Illa enim neque apud Hieronymum, reperi, & prædicti autores affirmant Hieronymum, non ea referre ex propria sententia: sed ex apocryphis quibusdam Iudæorum annalibus. Attigit autem illa Euseb. Emisen. homil. in Dominicam secundam aduentus, & (tacito nomine Hieronymi) inquit, in Annalibus Iudæorum scripta referri. Postquam vero ea retulit, subiungit, *Non tamen is quidem autoritatem non damus: ideo vero scripsimus, quia Euangelij verbis conuenire videntur*. Illis ergo, & aliis id genus prætermisissis, signorum, quæ in scriptura indicantur, quædam sunt valde generalia, & communia, quæ fere quamdiu Ecclesia Christi durat, diuersis temporibus accidunt, quamquam veluti per antonomasiam illi temporibus, quod proxime iudicium antecedit, attribuantur. Huiusmodi sunt multa ex ijs, quæ Matth. 24. narrantur, ut illud: *Multi ventent in nomine meo dicentes: Ego sum Christus, & multos seducunt. Audietur estus prælia, & opinioniones prætorum, conuersus gens in gentem, & regnum in regnum, & erunt pestilentie, & famines, & terremotus, & alia huiusmodi: eiusdem generis sunt illa, quæ narrat Paul. 1. ad Timoth. 4. Spiritus autem manifeste dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris, & doctrinam Demoniorum, & 2. ad Timoth. 3. In nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, blasphemii, &c. Hæc igitur signa, quia communia sunt, & per se satis clara, nulla demonstratione, aut explicatione indigent: declarando autem propria signa iudicii constabit, quomodo singulari modo, & per antonomasiam illi temporibus attribuantur. Alia ergo sunt propria illius diei signa, quæ ad duo reuocari capita possunt. Quædam, quæ antecedent iudicium, & initium eius, id est, aduentum iudicii, & conuocationem iudicandorum, quæ fiet angelica tuba personante: alia, quæ comitantur, vel inchoabunt ipsum iudicium, quorum signorum initium intelligi potest futurum in prædicto sono tubæ, homines ad iudicium conuocantis. De ijs posterioribus signis sermo erit dispo sequenti, hoc solum de prioribus, de quibus Christus dixit, *Cum videritis hæc fieri, scitote, quia prope est in ianuam*. Possent autem merito inter hæc signa numerari Antichristi Regnum, & persecutio, & aduentus, ac prædicatio Eliæ, & Henoch, de quibus propter materiam amplitudinem proprias disputationes præmisimus. Hic ergo explicanda supersunt tria alia illustriora signa, quæ partim Antichristum antecedent, partim sequuntur. Huiusmodi sunt prædicatio Euangelij per vniuersum mundum: euerlio Romani imperij, atque Vrbs: cœlestes immutationes Solis, & Lunæ, & Stellarum, ac elementorum, & rerum omnium, de quibus, & de ordine, quo euentura sunt, differemus.*

SECTIO I.

Virum ante iudicium prædicandum sit Euangelium in vniuerso orbe, sique hoc signum iudicii appropinquans.

D. Matth. 24.
IN hac re vnum est certum, multa vero dubia. Certum quidem, ac de fide est, ante diem iudicii prædicandum esse Euangelium in vniuerso orbe. Hos enim eiusdem fere verbis docuit Christus, Matth. 24. idque aliis testimoniis postea confirmabitur. Tria vero ad hoc explicandum inquiri possunt. Primum, quomodo hæc vniuersalis prædicatio, intelligenda sit. Secundum, quem effectum sit habitura, priusquam iudicium inchoetur. Tertium, quando, quove ordine perficienda sit.

Circa primum, ratio dubitandi sumi potest ex Paulo ad Rom. 10. dicente, *In omnem terram exiit sonus eorum, & in fine orbis terræ verba eorum*: & ad Colo. 1. de verbo